



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Prvdentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè  
fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,  
Tractatvs**

**Regnault, Valère**

**Lvgdvni, 1611**

Cap. XIX. De remediorum, & pœnitentiarum varietate accommodata  
varietati peccatorum capitalium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41341**

388 *De remediorum & pœnitentiarum variet.*  
coniunctum Confessarium. Cui etiam debet cura esse pœnitentem ipsum animare ad iniuncta constanter exequenda, resistendo fortiter diabolo tentanti: difficile enim initio tantum futuram pugnam, quia vires pugnando crescunt, & hostes debilitantur, iuxta illud D. Iacobi cap. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Caueat igitur in re tanti momenti negligenter agere, & primas partes aduersario concedere. In Christi auxilio humiliter confidat cum Apóstolo, dicente ad Philip. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.*

## CAPVT XIX.

*De remediorum & pœnitentiarum varietate,  
accommodata varietati peccatorum  
Capitalium.*

### S V M M A R I V M.

1. *Aduersus luxuriam puncta consideranda.*
2. *Cautela adhibenda.*
3. *Pœnitentia imponenda.*
4. *Remedia aduersus gulam.*
5. *Aduersus eandem imponenda in pœnitentiam.*
6. *Pœnitentia à Confessarij inculcanda aduersus acediam.*
7. *Pœnitentia peculiare ea laborantibus imponenda.*
8. *Aduersus auaritiam remedia.*
9. *Pœnitentia auaris imponenda.*
10. *Remedia aduersus superbiam.*
11. *Pœnitentia ea laborantibus imponenda.*
12. *Remedia aduersus inuidiam.*
13. *Pœnitentia apta aduersus eandem.*
14. *Remedia aduersus iracundiam.*
15. *Ratio ferendi patienter alterius iram.*
16. *Pœnitentia iracundiam*

tie iracundis imponenda. 17. Imponenda blasphemantibus seu maledicentibus Deo, aut ipsius Sanctis, quod plerumque fit ex ira. 18. Admonitio pro usu antedictorum.



VI A praxis nobis proposita exigit vt quantum fieri potest, ad particularia descendamus, subiiciemus antedictis, quæ aduersus peccata capitalia tamquam noxias radices, ex quibus cætera pullulant, possint peculiaria remedia adhiberi, & in pœnitentiam aptè imponi.

Contenti autem erimus iis quæ à Gasparo Loarte tradita sunt in instructione Confessariorum, tamquam profectis à viro pio, & docto, qui cum primitiis Spiritus nostræ Societatis coniunctam habuerit experimentalem scientiam. Ad quæ alia quidem addi possent, quæ breuitatis studio relinquenda videntur diligentia Confessarij: præsertim cum iam extet opus à R. P. Ioanne Busæo editum, quod inscripsit *de auct. prov.*, vnde talia ei abundè suppetant per auctoritates tam sacræ scripturæ, quam sanctorum patrum, accommodatæque exempla.

*Aduersus luxuriam particularia remedia, & pœnitentia accommodata.*

PRIMUM dicemus de luxuria, tertio, & abominando crimine, passim hominibus adeo familiaris, vt dici meritò nunc possit quod de tempore diluuij dictum est Gen. 6. *Omnis caro corruerat viam suam.* Quod crimen grauissimum est, perniciosissimumque omnium: cum non tantum animam

Ad particularia descendere cõuenit pro peccatorum remediis.

Cap. 21.

Luxuriæ crimine abominandum, & perniciosissimum.

390 . *Aduersus luxur. particularia remedia,*  
inficiat, sed ipsum quoque corpus corrumpat, ideo  
que bonos & zelo diuini honoris feruentes Con-  
fessarios decet, diligenter nauare operam ad com-  
munem eam pestem curandam: atque pluribus ad-  
uersus eam instructos esse remediis, qualia memo-  
ratus auctor adfert, tum puncta consideranda, tum  
cautelae adhibendas a poenitente,

usitaba  
eb suil  
-o- ubi

I. Quorum punctorum primum est: quantum ma-  
lum pro momentanea voluptate luxuria inuehat,  
& in animam & in corpus: illam enim praecarens  
peccatis mortalibus de spiritali statu dimouet: ob-  
tenebrans intellectum, & voluntatem deprauans  
per vehementiam passionis: ita ut subacta manci-  
pataque corpori, reuocetur a perfecta voluntate  
quaerendi Deum (quo nomine censetur suffocare  
semen uerbi Dei, ex cap. 8. D. Lucae ver. 14.) inepta-  
que fiat ad spiritalia, ac tantum sapiat quae carnis  
sunt, homine quasi in bestiam degenerante. Cor-

Mala quae corpori ob illa proueniunt.  
pori vero, praeter illud de quo 1. Corinth. cap. 6. *Qui fornicatur in corpus suum peccat:* adfert vitae diminutionem, uirium debilitationem, formae deturpationem, bonorum temporalium dissipationem, aliaque multa incommoda, quae patent experientia. Quibus accedit (iuxta illud in eodem cap. 6.) *neque fornicari, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt*) reatus gehennae, omni alia poena grauior; cuius timorem tamquam praecipuum Dominus nobis commendat

Momentaneum est quod delectat, aeternum quod cruciat.  
Matth. 10. ver. 28. Reputet ergo quisque momentaneum esse, quod delectat, & aeternum quod cruciat. Secundum est; ut occurrente carnis tentatione, habeatur in memoria praesentia Dei, & sancti Angeli custodis: quos tanta turpitudinis facinus latere non

numm

non possit : de quo erubescere instinctu ipso nature contingit , coram quocumque viro honesto, etiam ab iis qui perditis sunt moribus. Recordetur tamquam Christianus , quod sit *templum Spiritus sancti, quod qui violaverit, disperdet illum Deus*, ex priori ad Corinth. cap. 3. Quæ violatio insinuatur verbis eiusdem Apostoli 1. ad Thessal. cap. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstinere vos à fornicatione, & sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione.* Item voluptatis amans cogitet longè amabiliorem esse illam de qua in Psalm. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Tertium, quantumcumque fame pressus recusas uti cibo, cui scis admixtum esse venenum ( iuxta illud Iob cap. 6. *Non potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem* ) cur non respues delectationem carnis, adferentem animæ æternum interitum?

Quartum est, naturam huius detestandi vitij esse quoque, ut quò diutius in eo quis perseverarit, eò magis cruciet desiderio insatiabili: utpote æstum libidinis non restinguens, sed magis ac magis inflàmans: tamquam ignis, qui tãtò magis inflammatur, & ardet, quanto plus fomenti acquirit: unde ipsam statim tamquam à facie colubri fugiendum est, & excutiendum à se, tamquam ignis illapsus in sinum.

Libido insatiabilis.

Prima cautela pœnitenti præscribenda, est ut studiosissimè euitet occasiones carnalium tentationũ, quas priùs habuit: ut otium, quia *multam malitiam docuit otiositas*, Ecclesiast. 33. aspectus, ac tactus illicitos, quia *mors ascendit per fenestras nostras*. Ierem. 9. Itemque conversationem seu cõsuetudinem cum personis suspectis: eã præsertim, quæ est solius cum

2. Occasiones peccati sedulo vitanda.

sola: aut etiam aliàs quãdo fuerit cum turpiloquiis  
*Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.* 1. Co-  
 rinth. 15. Ac deum nimiam curam carnis (cui in-  
 dulgere est hostem domesticum perniciosè arma-  
 re) aliãque pericula, & causas talis turpitudinis: cuius  
 tentationem fugiendo potiùs, quàm resistendo

*a* 2. 2. 9. 35.  
 art. 1. ad 4.  
 Tentatio-  
 num initiis  
 resistendũ.

superari D. Thom. *a* annotat per illud 1. Corinth.  
 6. *Fugite fornicationem.*

Secunda cautela est vt tentationum initiis resi-  
 statur. Si enim aditus illis patefiat oblectando se in  
 eis, ita præualebunt vt nequeant sine magna diffi-  
 cultate postea expelli. Magna cura igitur adhiben-  
 da est, ac vigilandum, vt exorientes, concepto Dei  
 timore (cuius iram tali peccato peculiariter accen-  
 di patet ex cap. 6. Genesi. vbi refertur quòd *rastris*  
*dolore cordis intrinsecus, & pœnitens, quòd hominem fe-*  
*cisset in terra, dixerit, delebo hominem quem creauit*

*b* ad Rom. 8.  
 ac ver. 13.

*facie terra.*) statim repellatur *b*: quod est iuxta Apo-  
 stolum *spiritu facta carnis mortificare*: & secundum  
 Psalmistam *c*, *paruulos suos tenere, & allidere ad*  
*petram.*

*c* Psal. 136.  
 ver 9.

Tertia cautela est, vt si quis per incuriam permi-  
 serit tentationem in carne sua radices agere, confu-  
 giat ad Dominum, intimo cordis affectu, petens ab  
 ipso auxilium; seque beatissimæ Virgini, & Angelo  
 suo custodi, aliisque Sanctis commendans, memor  
 quòd *aliter non possit esse continens, nisi Deus det.* Sa-  
 pient. 8. Atque interea carnem ipsam dolore aliquo  
 afficiens, per quem conceptus ardor extinguitur.  
 simulque mente recolens acerbissimas gehennæ  
 flammæ, quibus obnoxius efficitur præbendo con-  
 sensum carnali oblectationi, ac simul ponderans  
 quid de seipso dicat S. Apostolus in priori ad Co-  
 rinth.

rinth. cap. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs predicauerim, ipse reprobus efficiar.* Denique commendatum habere, frequentem cum debita præparatione vsus Eucharistiæ, vt eius quæ iuxta Zachariam in cap. 9. *Fru mentum est electorum, & vinum germinans virgines.*

Pœnitentiæ in eiusmodi peccatum prolapsis iniungendæ, sunt potissimum, quæ carni castigandæ deseruiunt: vt ieiunare, superflua in cibo, & potu refecare per abstinentiam & sobrietatem, verberatione, aut cilicijs, humi cubatione, aut durioris strati vsu carnem domare, vigilare, summoque manè surgere, templa obire cum deuotione, hospitalibus inferuire, ægrotis ministrare, fœtorémque sordidum locorum perpeti, & id genus alia, quibus subigitur caro, refrenatur, & spiritui subiicitur. Diuitibus autem, & alijs infirmioribus, qui harum macerationum carnis non videbuntur capaces, eleemosynæ sunt commendandæ, quibus pauperes foueant, puellis indotatis subueniant ad matrimonium ineundum, orphanos nutriant, in studijs alant, aliaque similia opera faciant pro conditione, & facultate cuiusque. Misericordes enim misericordiam consequuntur à Domino: cui non minus facile est lepram eam internam mūdare, quàm fuit externam, cùm ei dictum est, *Domine si vis, potes me mundare*, Matth. 8.

<sup>3.</sup> Pœnitentiæ in eiusmodi peccatū prolapsis iniungēdæ.

*Aduersus gulam.*

Pro remedijs aduersus hoc peccatum inculcati possunt pœnitenti sequentia.

Primum est talis peccati pernicies: de qua in sa-

<sup>4.</sup> cap. 22. Gulæ damna ex Scripturis.



cris literis habentur exempla. Gula enim matris  
 Euæ fuit perditio humani generis. Genes. 3. Luth,  
 vir alioqui iustus, per ebrietatem eò delapsus est,  
 vt cum propriis filiabus commisceretur, Genes. 19.  
 Ob gulam Esau iure suæ primogenituræ excidit,  
 Genes. 25. Holofernes vino obrutus à Iudith trun-  
 catus est capite. Iudith 13. Herodes denique in  
 suo natali inter epulas caput D. Ioan. Baptistæ præ-  
 cepit amputari, Matth. 14. Marc. 6. Luc. 3. Eandem  
 perniciem ostendunt etiam tum temporalium bo-  
 norum iactura, tum varij corporis morbi: quos, at-  
 que adeo mortem, ex eo peccato prouenire me-  
 dici testantur, quod experientia satis docet. Adde  
 gulam ipsam aditum in animam aperire vitiis om-  
 nibus, & intercludere virtutibus, vt ipsa etiam ex-  
 perientia docet. Vnde Dominus, Lucae 21. præcipit,  
*vt attendamus nobis, ne fortè grauentur corda nostra  
 in crapula & ebrietate.*

Secundum est breuitas voluptatis, quæ ex hoc  
 peccato percipitur; nec enim diutius durat quam  
 quamdiu editur, & bibitur, cibúsque aut potus ab  
 ore in fauces delabitur, nullo perseverante vestigio  
 perceptæ voluptatis: imò si modus excedatur, con-  
 tinuò præsto est molestia, stomachus se ciborum  
 onere prægrauatum, fastidióque affectum sentit,  
 cruditas, & alia incommoda sequuntur.

Tertium est multiplex fructus, quem profert cõ-  
 traria abstinencia, ex qua quæ ad corpus proueniunt  
 sanitas, vita longa, alacritas, dexteritasque ad quod-  
 uis opus, compendium sumptuum, cura, labor,  
 molestiæque minor. Quoad animam verò aptitudo  
 ad orandum, contemplandum, studiis vacan-  
 dum, ad vitanda peccata, & sectandas virtutes, &c.

Qua

Quartum est euitatio occasionum huius vitij: nempe(iuxta illud, Prouerb.23, *Noli esse in conuiuijs potatorum : nec in comessationibus eorum , qui carnes ad vescendum conferunt*, nō versari cum epulonibus, & temulentis, fugere conuiuia in quibus est difficile modum seruare:vt in iis, in quibus superuacanei sumptus fiunt in cibo & potu : de quibus consultum est, ne cogitare quidem.

Quintum memoria fellis, & aceti, quo Christus in passione potatus est; & temperantiæ qua ipse, & ipsius discipuli vni sunt; ac sancti illi patres, qui vitiosum putabant cibo cocto vesci, vt non rarò D. Hieronymus in suis epistolis meminit. Adde & pauperes, qui in toto terrarum orbe plurimi cum fame & siti conflictantur.

Sextum est expectatio cœnæ cœlestis. Decet enim, ex huius mundi quasi ientaculo, sobrios nos esse, vt in illam cœnam admissi mereamur satiari ab *uertate domus Dei*, & *torrente voluptatis illius inebriari*, iuxta dictum Dauidis in Psalm.35. Quibus adde statum abominabilem eorum quos Apostolus ad Philip. 3. flens dicit, *inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est.*

Pro pœnitentiis particularibus aduersus idem peccatum imponi hæc possunt. Aliquo die ieiunare, aut abstinere aliquamdiu, sibi temperare à rebus quarum vsus expetitur magis causa voluptatis, quam necessitatis, vt ab aromatibus, condimentis, fructibus, & à cæteris quæ irritant gulam: potissimum autem ab iis, quibus maximè quis delectatur: iniungi etiam posset admixtio alicuius rei amaræ, in memoriam amaritudinis, quam Christus in cruce sitiens sensit: quoniam tale quid à sanctis facta

Etita

Et ita inuenitur: vt à S. Francisco, cùm cibum suum aspergeret cinere, Dauidis imitatione dicitis in Psalm. 101. *Cinerem tamquam panem manducabam.*

Excedentibus in potu potest iniungi, vt ad tempus ab vsu vini abstineant, aut illud aqua probè dilutum, & parciùs bibant, neque hoc extra mensam. Item quoties bibituri sunt, præsentia Dei meminere: & aliquid orationis occultè, ac nemine aduertente fundant. Potest etiam iniungi pœnitenti, vt quoties in tale peccatùm lapsus fuerit, aliquam pœnitentiam sibi imponat, quam exequatur sequenti die; vt parciùs ac tardiùs cibum sumere, quàm velle: aut cibis vti vilioribus, vel malè paratis, aut aliud pœnitentiæ opus facere.

*Aduersus acediam seu pigritiam.*

6.  
cap. 13.  
Pigritia nõ  
leue peccatum est.

**A**Cedia peccatum est non leue, dilectioni Dei, & pietati, ac promptitudini, quam cultui ipsius debemus, contrarium, tãquam tedium quoddam, & tarditas in rebus spiritualibus: ac ignaui quædam ad bonum inchoandum, & inchoatum perficiendum. Ei, quem Confessarius senserit hoc morbo laborare, remedia hæc adhibebit. Primò proponet meditandum, quàm breue sit huius vitæ tempus, concessum ad opera meritoria præstanda: ex quo tamen pendeat, quidquid per omnem futuræ vitæ æternitatem sibi euenturum est; & de quo coram Christo Iudice, est redditurus strictissimam rationem. Secundò in memoriam ei reducet, quantos labores, quot discrimina adeant homines, dum diuitias & honores sectantur; quanta  
folli

sollicitudine aulici principibus placere, & eis seruire studeant: bonum autem nullum esse maius aeterna salute: nihilque dignius esse, ac nobilius diuina maiestate; ita vt maximè quémque pudere debeat, negligentem esse in diuino obsequio. Tertio inculcet labores assiduos, molestias, orationes, aliáque pia exercitia, tum Christi, & Sanctorum: tum etiam multorum adhuc in sancta conuersatione viuentium; vt quod hi facere consueuerunt, ille quoque gnauiter faciat: cum eandem, quam ipsi, expectet mercedem. Quarto incitet ad reputandum secum, quòd praesens dies ei supremus fortè sit: quandoquidem incertus est de crastino, dicente Domino, Matth. 25. *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Dicat ergo apud se, incertus de crastino: cur hunc saltem diem, mihi fortè vltimum, diuino obsequio non impendam, vt debeo: percipiturus ex breui hoc labore aeterna gaudij praemia; nonne in medio incendio, aut in procelloso mari constitutus, omnem diligentiam adhiberem, ad quamprimùm inde me eripiendum? Quidni multo magis conuenit me nunc vigilantem ac sedulum esse, qui versor inter tot pericula aeterni incendij, & submersionis in profundum infernalis abyssi? Quinto admonet acediae prostrigandae laborem, apparere praecipuè in initio. Si quis enim aeternae salutis motus desiderio, vim aliquam sibi faciat, difficultatem subinde magis ac magis consuetudine minui; ac tedium, quod initio sentit, paulatim euanescere experietur. Ad quod tedium leuandum (si contingat ipsum perseverare) consulendum est, vt mutet exercitia: nempe si in meditationibus aridum se, ac frigidum comperiat, trans-

Maximè quemque pudere debet negligentem esse in cultu Dei.

Varianda sunt exercitia acedioso.

cat

eat ad vocales orationes faciendas : si que nec inde gustum percipiat, occupet se in aliqua lectione, vel in aliquo studio pio. Si denique nec tunc afficiatur, aggrediarur aliquod corporis exercitium, opusve misericordie corporale: sic vt numquam desidia se dedat, otiove torpere se sinat.

7. Pœnitentiæ peculiare eidem peccato accommodatæ hæ assignantur. Prima est, vt aliquo hebdomadis, aut mensis die, dum præsertim ab illo ignauo spiritu se oppugnari animaduertit, virum aliquem religiosum inuisat, cuius in Deo colendo zelum, flagransque studium perspectum habet, cum quo communicet, ac conuersetur; quia talis conuersatio cum hominibus, zelo pietatis flagrantibus, solet in aliorum animis similem zelum accendere, & in nimium remissis mutationem aliquam adferre. Vitet autem carnalium hominum, mundanis deliciis deditorum consortium: quod istiusmodi tentationi magnam præbere solet occasionem. Secunda est, vt cum cibo, potus, ac somnus immoderatus inutiliaque colloquia peccatum istiusmodi soleant magnopere promouere, ad obuiandum tali malo, imponatur certum ieiunium, aut vigilia, aut silentium. Tertia est exercitium aliquod manuum domi aut foris peragendum, quod Pœnitenti ipsi congruat, & frugiferum sit, pro ipsius statu, & conditione. Quarta sub noctem exquirere, an elapso die fortassis otio indulserit, & conscius sibi talis defectus pro vnaquaque hora otiosè ac inutiliter transacta, minimum dicat semel, defixo in terra vultu orationem Dominicam cum salutatione Angelica. Quinta vt quoties audit horæ pulsus, apud se dicat, esto memor rationis,

Pœnitentiæ  
huic peccato  
propria.

nis, quam Domino redditurus es de hac hora. Hoc enim erit illi incitamentum ad horam sequentem vtiliter transigendam.

*Aduersus auaritiam.*

**Q**uæ hætenus dicta sunt pertinent ad bellum gerendum contra carnem, hostem nostrum domesticum: quæ iam sequuntur, pertinent ad gerendum cum externo hoste, qui est mundus; suos affleas plerumque præcipitans in barathrum auaritiæ, quæ peccatum est commune tam diuitibus, qui opes suas immoderatè amant, & retinent: quàm pauperibus qui nimia cupiditate, inordinatòque modo incumbunt diuitiis acquirendis.

cap. 24.  
Peccatum  
auaritiæ  
commune  
est paupe-  
ribus & di-  
uitibus.

Remedia vtrisque inculcanda sunt. Primò quòd ex Christi Domini doctrina, Matth. 5. & 19. amor studiumque paupertatis, sit ad beatitudinem, & perfectionem via: illic enim dicitur. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: & hic, si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Amor diuitiarum verò radix sit omnium malorum, vt dicitur in priori ad Timoth. 6. vbi & additur. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli.* Spinæ sint diuitiæ: iuxta Domini doctrinam, Lucæ 8. vers. 14. quæ acquiruntur, conseruantur, & amittuntur cum magnis molestiis: sicut & spina in pedem intrat, & manet in eo, ab eoque extrahitur cum dolore, & molestia.

Secundò quòd in Christi famulatu magnifient, honoratiquè sint, non qui diuitiis inhiant, sed potius qui illas spernunt, eiusdem Christi exemplo, qui

qui in ipso ingressu in mundum paupertatem elegit, nascens in stabulo; eamque per totam vitam seruauit, non habens ubi caput suum reclinarerit (vt de se ipse fatetur. Matth. 8. & Luca 9.) ac tandem in morte ita coluit, vt nudus omnique humano solatio destitutus vitam finierit. Quod quidem exemplum beatissima virgo, Apostoli, reliquique sancti studiosè secuti sunt; & meritò cum auaritia sit *quedam simulachrorum seruitus*, ad Coloss. 3. vers. 5. ac *facilius sit camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*, Matth. cap. 19. Nihilque *profit homini si totum mundum lucretur, & anima sua detrimentum patiatur*, ex præced. cap. 16. vers. 16.

Tertiò quòd huic transitoria, breuique vitæ pauca necessaria sint, & sufficiant; nempe victus & vestitus, quibus nos contentos esse iubet Apostolus d. loc. cit. Ita vt nihil opus sit tanta contentione, & molestia, quanta se fatigant diuitiarum amatores, præsertim cum Christus, Matth. 6. promiserit *talia esse adiacenda ijs qui primum quaesierunt regnum Dei, & iustitiam eius*. Itaque hortante Apostolo ad Hebr. 13. *mores sint sine auaritia, contenti presentibus. Ipse enim dixit, non te deseram, neque derelinquam, &c.*

• Psal. 61.

Quartò, non immeritò Psalmistam e monere. *Diuitiae si affluant, nolite cor apponere*. Nam non modò voluntatis desiderium non satiant, sed acuum potiùs: sicut aqua salsa epota, sitim non extinguit, sed accendit, eoque magis, quo magis fuerit potata. Et ita, vnde solatium, & quies quaeritur, inde molestia, inquietudòque augentur, prout patet experientia. Quod qui in se agnoscunt, erubescant, conquerente Deo apud Ierem. capit. 2. *Duo mala fecerunt*

Diuitiæ nō  
fatiant de-  
siderium,  
sed acuum.

*cit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

Quintò experientia quoque constare id, quod ait Apostolus in priori ad Timoth. cap. 6. *Nihil in- tulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec au- ferre quid possimus: nec quemquam esse, quin dicere possit cum Iob s, nudus egressus sum de utero ma- f Iob. cap. 1. iris meæ, & nudus reuertar illuc.* Cum vno funera- li linteo mañdaberis terræ, sicut vides cæteris con- tingere. Cur ergò tanta auiditate diuitiis congre- gandis, & conseruandis incumbis, quas te oportet aliis relinquere, qui eas pro arbitrato consumunt, parum de te curaturi; ac fortè etiam tuam hanc ir- rursuri sollicitudinem: quæ te fecerit obliuisci bo- norum cælestium, quorum comparatione nihil sunt totius mundi opes: ita vt meritò dictum sit, Ecclesiastici 10. *Nihil iniquius esse, quàm amare pe- cuniam.* Consideret igitur hortante D. Gregorio, *g g in homi- lia 37. in Euangelia.* quæ & quanta nobis promissa sint in cælis, & vi- lescent animo omnia quæ habentur in terris.

In pœnitentiam hoc crimine infectis imponen- 9. dam tradit idem auctor: opulentis quidem, ac di- Præstat da- uitibus, vt eleemosynas erogent, quod continuato re eleemo- tempore fieri, etiamsi parum detur, quàm simul synã paula- largiri multum nonnunquam magis expediet hoc tum, quàm nomine, quòd ex assidua consuetudine dandi sæ- mul. pius eleemosynam paulatim nascatur habitus libe- ralitatis, quæ est auaritiæ destructiua.

Addi quoque posset, vt hospitalia, aliosque ino- pes visitent. Id enim ad hoc eis proderit, vt viden- tes illorum miseriam, & inopiam, aliquid de duri- tia sua remittant, & ad misericordiam flectantur.

Pauperibus verò auaris, qui ardenti desiderio comparandi diuitias, quas non habent, iniungi potest, ne cum diuitibus, præsertim auaritiæ deditis, conuersentur; & caueant sibi ab inspectione pecuniarum, opumque alienarum, ne inde inflammentur illarum cupiditate. Interdum quoque domos pauperiorum, quàm ipsi sunt ingrediantur, necessitates illorum, & penuriam considerent, atque si possint eis opitulentur. Item vt aliquam in die, vel hebdomada horam infumant meditando paupertati Christi inopis, ac nudi in cruce pendentis, in exemplum nostrum, iuxta illud, 1. Petri 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.*

*Aduersus superbiam.*

cap. 29.  
Superbia  
omnis peccati  
initium  
est.

**Q**uæ sequuntur pertinent ad pugnam aduersus diabolum, tertium nostrum hostem, nos prouocantem præcipuè ad superbiam, odibilem coram Deo, & hominibus: *omnis peccati initium*, vt dicitur Ecclesiastici 10. Aduersus eam autem cum sit appetitus inordinatus excellentiæ, & præeminentiæ: remedia sunt, quæ vilem hominis conditionem, miserumque statum ostendunt: nempe corporis quædam interna fœditas, quam manifestant excrementa ex eo prouenientia; incommoda famis & sitis, æstus, & frigoris; multiplicium morborum, & ærumnarum, ac tandem mortis, & corrosionis à vermibus. Animæ verò ignorantia, & errores, vitia innumera, prauæ affectiones, timor, sollicitudo, mœror, anxietas, & plurimorum peccatorum reatus: quibus miser est & miserabilis, æterna

Quæ superbiam  
destruunt.

obno

obnoxius morti, de qua in Psalm. 33. *Mors peccatorum pessima*: & ad instar diaboli facta nihili, iuxta illud in sequent. Psalm. 72. *Ego ad nihilum redactus sum, & nesciui*. Deinde quamuis careret homo omnibus prædictis incommodis, abundè miser, & miserabilis efficeretur, per ipsum superbiam peccatum: cui Deus specialiter aduersatur, fauens maxime contrariæ humilitati, iuxta illud, Iacobi 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Sic Luciferi, & sequacium superbiam puniuit gehennæ supplicio æterno, ex Isaia 14. cap. superbiam primorum nostrorum parentum expulsionem à paradiso terrestri, & corporali morte, aliisque innumeris calamitatibus, ex cap. 3. Genes. ad quæ adiungi possunt exempla punitionis, qua seuerè puniuit in hac etiam vita superbiam tum Saulis, 1. Reg. 15. tum Roboami, 3. Reg. 12. tum Nabuchodonosoris, Dan. 4. Aman. Esther. 7. tum Antiochi lib. 1. Machab. cap. 6. & lib. 2. cap. 9. tum etiam multorum aliorum, humilitatem verò beatissimæ Virginis Mariæ, vt excellentissimam, tanto beneficio cumulauit, vt ipsa Dei mater, & dici, & esse mereretur; sic exaltantur humiles, vt ipsa profitetur in suo cantico, & apertè Dominus pronunciauit, Luc. 14. & 18.

Exempla superbiorum, qui à Deo grauiter sunt puniti.

Remedium quoque aduersus eandem superbiam, est instabilitas, & incōstantia eorum, de quibus homo gloriatur; vt sanitas, pulchritudo, fauor, diuitiæ, nobilitas, & similia, quæ fluxa esse, facileque euanescere constat. Quæ verò iudicantur esse bona hominis solida, vt virtutes, & bona opera, ille sibi tribuere non debet, sed ea Deo accepta referre, nec potest de eis gloriari (iuxta illud in priori ad Corinth. cap. 4. *Quid habes, quod non ac-*

Inconstancia eorum, quæ in hac vita habentur.

Vana gloria  
vitanda est.

*cepisti: si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis*) præsertim cum ipsa de se sint adeo imperfecta, vt ex Isa. cap. 64. censeantur *quasi pannus menstruatus*. Itaque hortante Apostolo in 2. ad Corinth. 10. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Vana gloria vitanda est omni studio, tamquam bona opera euacuans laude, apud homines, & mercede apud Deum: quorum illud constat experientia, & hoc ex Domini doctrina, Matth. 6.

Remedium denique præter cætera efficacissimum, est animo reuoluere exempla, quæ Christus Sanctus sanctorum, rexque regum dedit humilitatis in sua Natiuitate, & in toto vitæ suæ cursu, factus subditus beatissimæ Virgini, ac S. Ioseph. ex D. Luc. cap. 2. sub finem; nec dedignans etiam lauare discipulorum suorum pedes ex D. Ioan. cap. 13, aliisque passim agens quibus doceret, quæ discipulos à se discere velint cum dixit, Matth. 11. *Discite a me quia mitis sum & humilis corde*, & quod est singulare humanæ superbiam antidotum, *humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* h

h ad Phi-  
ip. 2.

11.  
Pœnitentiæ  
laborantibus  
superbia  
imponenda.

Pœnitentiæ laborantibus superbia imponenda assignantur hæc. Quandoque in actibus humilitatis exercere se: simplicioribus, & vilibus hominibus se adiungere: inferiorem locum in mensa eligere: hospitalia visitare; pauperibus, & ægrotis ministrare, cibum porrigere, lectos sternere, vilia, & contemptibilia ministeria obire. His autem quibus talia publicè facere displiceret, iniungi posset, vt ea in ædibus saltem priuatis exequantur. Item quando

foli

foli fuerint, humi se prosternāt, semetipfos conu-  
tiis, & probis onerent, humilitatis ergo: quod à D.  
Francisco factitatum habetur in ipsius vita.

Præterea Rosarium recitent flexis genibus, & ad  
vnamquamque orationem Dominicam ac saluta-  
tionis Angelicæ decadem, osculentur terram.

Superbientibus autem aduersus parentes, aut su-  
periores; omnino tamquam medicinalis pœnitentia,  
iniungenda est submissio, & obedientia per il-  
lud ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subia-  
cere eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro ani-  
mabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, &  
non gementes. hoc enim non expedit vobis.*

*Aduersus inuidiam.*

**S**uperbiæ comes est inuidia, vt patet tum in dia-  
Sbolo superbo, cuius *inuidia peccatum introiit in* comes est  
*orbem terrarum.* Sapien. 2. tum etiam in homini-  
bus, quos ille pertractos ad superbiam, inflammat  
inuidiâ mœrorëve ex aliorum profectu.

Aduersus quod peccatum remedium esse po-  
test. Primò ostendere illius grauitatem, quæ patet  
ex eo quòd sit peccatum directè contrarium cha-  
ritati, virtutum omnium præstantissimæ, & sine  
qua nihil sumus, nihilque nobis ad æternam salu-  
tem prodest. 2. Secundò inculcare illius perniciem,  
nam est instar vermis intra lignum nati, qui ipsum ad Corinth.  
vnde natus est reddendo consumit ( vnde Pro-  
uerb. 14. dicitur. *Putredo ossium inuidia* ) simulque  
addere ex aliis peccatis quidem capi aliquid volu-  
ptatis: sed inuidiam corpus pariter, & animam  
cruciare, ex temporalibusque pœnis ad sempiter-

Superbiæ  
comes est  
inuidia.

ex priori  
ad Corinth.  
cap. 13.

Inuidia  
corpus &  
animam  
cruciat.

nas abripere: adeo vt illi succumbens priuet se gaudio, tum presentis, tum futuræ vitæ; & id sine vllò necessitatis, vel vtilitatis motiuo. Tertio exponere Pœnitenti, quòd inuidus similis fit furioso lacerranti se propriis dentibus: simulque conari ipsum per remedia antè tradita reuocare à superbia, quæ inuidiam ipsam procreat, dum superbus ægrè fert alios, aut superiores, aut æquales sibi esse. Conari item ipsum ab amore terrenarum rerum, (vtrumque illud vitium generante, ac fonte,) adducere ad amorem cœlestium, quæ vera sunt, perpetuæque bona, omnibus bene viuentibus proposita: ad quorum fruitionem, quòd plures admittuntur, eò singuli vberiore cumulantur lætitia, adeo vt inuidiæ nullus sit locus. Quarto inculcare magnæ cecitatis esse, amatorem propriæ excellentiæ tangi inuidia: per quam se alio inferiorem, aut certè non superiorem profiteatur: per quam etiam conficiat se mœrore, de eo, ex quo feruens charitate, posset lætitiæ fructum suauissimum capere.

Inuidēs ad-  
uerfatur  
naturæ le-  
gi.

Postremò inducere ad pōderandum, ac expendendum secum, quòd inuidens aduerfetur naturæ legi, dictanti non esse faciendum alteri, quod nolumus factum nobis. Quia igitur nollet inuidus alios de bono suo triftari, nec ipse debet de alieno. Itémque ad considerandum quàm multa sint, quæ inuitant nos ad congaudendum aliis de bonis ipsorum; nempe omnium nostrum *vna est fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium*, ad Ephes. 4. Vna omnium mater Ecclesia: omnes ex Adamo, & Eva originem trahimus, & ad vnum finem tendimus, eamdémque beatitudinem expectamus. Quæ quidem omnia sunt motiua conciliatiua charitatis, &

& eliminatiua inuidiæ ab anima.

Pœnitentiæ, quæ infectis hac labe imponi possunt, duæ proponuntur potissimum. Prior, vt recitent Rosarium pro iis, quibus inuident, quos uero odio habent; & dent operam, vt de eis bene coram aliis loquantur, ac ubicumque ipsos deprehenderit accusatos, & malitiosè traductos, quàm fidelissimè possunt, excusent: eos quandoque inuisant, cum eis colloquantur, cæteraquæ officij genera exhibeant.

13.  
Pœnitentiæ  
pro inuidis.

Posterior verò, vt Christum aliquoties animo intueantur ligno crucis affixum, pro suis crucifixoribus orantem, ac sanguinem suum effundentem: simulque cogitent eum, in quem odium, vel inuidiam exercent, esse de numero eorum, quos Christus ipse sanguine suo aspersit, & à peccatis expiauit. Quæ licet inuito fortè animo fient ab ipsis initio, vsu tamen ipso, & difficultas tolletur, & fructus cum voluptate percipietur.

Si ex inuidia secuta sit detractio: monendus est Pœnitens de obligatione ad restitutionem famæ læsæ: & inculcandum ei Tobiaë monitum. *℞ Quod ℞ Tobiaë 4. oderis ab alio tibi fieri, vide ne aliquando alteri facias.* Item quàm indignum sit os habere tamquam sepulchrum patens, ex quo foetores emittantur ad corrupendum bonum proximi odorem; non modò nulla tua vtilitate, imò cum damno maximo: cum detrahendo, non minus lædatur propria quàm aliena fama. Nec enim est qui bene sentiat de detractore.

Nullus est,  
qui bene  
sentiat de  
detractore.

**A**D peccatum iræ diabolus quoque per superbiam excitat hominem : quod specialiter aduersatur mansuetudini, quam ut ab ipso discamus præcipit Christus, Matth. 11. Familiare autem est principibus, ac magnatibus. Quibus in remedium proponi poterit. Primò quàm sit à ratione alienum exardescere irâ in alterum similis naturæ : cum ne quidem bestiis ferocibus tale quid ysueniat, etiâ si à natura sufficienter armatis ad nocendum, quod non est homini concessum. Secundò ex tali immoderata ira, sibimet multa mala inferre. turpes enim vultu, & gestibus, contemptibilesque effici, balbutite lingua, ac in sermone hæere perplexos: iudicio in omni re destitui, non posse refrenare, ac cohibere seipsum : & cæteris fastidio, offendiculoque esse.

14.  
Quomodo  
sit vincenda  
ira.

Davidis  
mansuetudo  
erga Semei.

Tertiò propria delicta contra Deum commissa, exigere, ut ipsi longè maiora ferant, quàm ea, quæ contigerunt, Deo permittente, propter quæ sic excandescunt; proinde imitentur Davidis mansuetudinem, qui (ex 2. lib. Regum. cap. 16.) maledicentem sibi Semei, non permisit occidi : sed maledictionem tamquam Dei præcepto factam, cum humilitate, & mansuetudine suscepit, sperans se ideo misericordiam à Deo consecuturum.

Christus  
speculū in  
quo se in-  
tueri de-  
bēt inuidi.

Quartò reuocent in memoriam Christi Domini patientiam, qui conuitiis, probrisque appetitus obmutuit, & dolores tantos, ac tam multos, tormentaque grauissima innocenter perferens, nõ est comminatus, neque conquestus. Intuentes enim seipfos in tam lucido speculo, facilè cognoscent  
quàm

quàm longè absint à mansuetudine requisita in vero Christi sectatore.

Quintò ubi se excandescere sentient, iram intus continere, ac compescere studeant, nec sinant foras erumpere. Recedant ab iis, cōtra quos ira commouentur, & se aliis negotiis applicent: seque Deo cōmendent, donec ira ipsa deferbuerit: vnde fiet, vt delectationem magnam ex eo sentiant, quòd nihil opere aut verbo admiseriat, de quo valde ipsos pœnituisse.

Ad ferendam autem alterius irā patienter (quod <sup>15.</sup> necessarium est ad illam in seipso cohibendam) iu- Adferendam alterius irā quid faciendum.  
uabit, Primò se à conspectu irati subducere. Secundò, si id non possit fieri commodè, iratum demulcere bonis verbis, quia *responsio mollis frangit iram.* Prouerb. 15. Tertio si neque hoc locū habeat, seruare silentium, donec irascens suam iram decoxerit: cogitando irati cerebrum de suo statu dimotum esse, ideòque locum esse commiserationi potius, quàm indignationi: perinde ac cum agitur quis furiis, iuxta illud quòd ira, communiter dicitur Horat. *furor breuis.*

Pœnitentiæ accommodatæ iis, qui iræ succu- <sup>16.</sup> buerint, esse possunt primò vt orent pro iis, quos offenderunt, ac beneficiis eos prosequantur, vt bene faciendo compensent offensas: sicque iuxta Apostoli monitum *ignitos carbones charitatis con-* <sup>12.</sup> *gerent super caput ipsorum.* Secundò, vt interdum se- <sup>12.</sup> metipsis afficiant cōiitiis & verbis iniuriolis lace- sant, exemplo D. Francisci vt assuescant scōmata, & dicteria contumeliosa aliorum excipere patienter. Tertio cum iræ (vt nonnumquam solet) admixtus fuerit affectus odij, & desiderij nocendi, iniungen-

Odium de-  
ponēdū est  
ad consecu-  
tionem vitę  
ęternę.

Ex ira non-  
numquam  
homicidiū  
sequitur.  
/ Gen. 4.

m in Ench.  
c. 12. nu. 83.

da est consideratio verborum Domini Matth. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cęlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Quę verba ostendunt deponendum esse odium, & appetitum vindictę ad consecutionem ęternę salutis: de qua nos assiduę sollicitos esse debere: idem Dominus satis admonet in sequen. cap. 25. inquit, *vigilate quia nescitis diem, neque horam*; ac inter cętera prouidere, ne qui toties nostri misertus est, non misertentibus proximo, exprobet illud Matth. 18. *Serue nequam omne debium dimisti tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit, & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* ac tradat tortoribus. Quartò cum ( vt item nonnumquam solet) ex ira secutum fuerit homicidium; pręter restitutionem ( de qua in Praxi fori pęnitent. par. 2. lib. 6. tract. 4. cap. 2. ) poterit imponi in pęnitentiam longa peregrinatio sine viatico, vt sentiat pęnam Cain, cuius est imitatus nequitiam. Item iniungi exercitium operum misericordię, in sepeliendo mortuos, visitando captiuos, hospitalium ministeria obeunda, orando, sacramenta pęnitentię & Eucharistię pię vsurpando, procurando sacra fieri pro eo quem occidit.

Confessarius autem cui talis casus reseruatus fuerit, absolueret non debet ab eo, aut dispensare in irregularitate quę ex eo sequitur, sed remittere ad superiorem.

17. Quartò, cum ex eadem ira fuerit secuta blasphemia in Deum, vel Sanctos ( vt etiam solet ) imponendam esse grauissimam pęnitentiam Nauar. m habet ex decreto Cōcilij Lateran. sub Leone 10. Ex

Gasparo

Gasparo autem Loarte *n* esse potest, vt Rosariū B. *n* in sequen. Virginis recitet, & ad finem cuiusque orationis cap. 28.

osculatus terram dicat: *Gloria patri, & Filio & Spiritui sancto*: aut, *Sit nomen Domini, Sanctorumque omnium benedictum in secula seculorum*. Item, vt lingua lignum crucis in terra imprimat, ad membrum maledictionis ea ratione castigandum. Tertium litanias de nomine Iesu, & Beatæ Virginis quibus continentur laudes ipsorum cum aliis precibus recitet, aut si non possit, nesciens legere, vel alia de causa, illud sapius vsurpet, *Laus, honor, & benedictio sit Deo, & omnibus Sanctis*. Quartò vt aliquam pœnam sibi imponat, quam sponte subeat quoties in tam detestabile peccatum relapsus fuerit; qualis esset, os suum, vel pectus ferire, terram osculari, Psalmum aliquem, vel saltem orationem dominicam, aut salutationem angelicam recitare: eleemosynam aliquam largiri, aliquot verbera sibi infligere, ieiunare, proximo quoque tempore confiteri, aut aliquid aliud facere, per quod maiore deinceps cura caueat sibi à tali lapsu. Extendat quoque easdem pœnas quoties incurrerit in occasiones talis peccati quas euitare debuit, qualis est alearum lus, & consuetudo iurandi per Deum, aut per ea quæ Dei sunt, & rixæ. Expendat etiam cum peierauerit ( præsertim ex consuetudine temerè iurandi) & cum maledixerit, seu malum imprecatus fuerit proximo, memor quòd redditurus sit ratione *de minimo etiã verbo otioso*, ex D. Matth. c. 12. ver. 36. Ne autè facilè tã salutaris propositi obliuiscatur, quotidie ante somnum exquirat, an eo die lapsus sit, si que se culpabilem iuenerit, pœnam propositam exsoluat, antequam cubitum eat, aut si tunc

Cauendum maximè à blasphemia, & quid ad eam euitandam faciendum.

si tunc non possit, sequenti die manè defectum illum suppleat. Poterit adhuc induci, vt non tantum in sua sed etiam in aliorum simili morbo laborantium curatione operam collocet, eos, quos audiverit perperam iurare, aut blasphemare humaniter & commodis rationibus admonendo ad maiorem Dei gloriam. Admoneri quoque seriò debet ab omni abominatione istiusmodi peccati; quod tamquam rationem habens infidelitatis, grauíssimū est, atque adeo deterius homicidio, ex D. Thoma. *o* vnde si exhorreret se, vel semel mentem infidelitate, vel manus humano sanguine polluisse: quomodo non vereatur contaminare linguam, concessam ad Deum laudandum, & gratias pro beneficiis agendas contaminare blasphemis: quibus non modo Deus grauíssimè offenditur, sed etiam proximus quilibet, sensum habens aliquem pietatis erga suum creatorem, valde scandalizatur? Atque contaminare, absque vilo motiuo expectati emolumenti, nec enim potest inde vtilitas, vel voluptas accipi, sine corporis, sine animæ, imò verò possunt graua incommoda non modò animæ, sed etiam corporis, in hac etiam vita contingere, vt patet per illud, quod ob blasphemiam Sennacherib, vna nocte in ipsius exercitu Angelo Domini percutiente centum octoginta quinque millia perierint. Pax in regno esse non potest ei, qui cum rege bellum gerit: quomodo ergo modo bene erit bellum gerenti cum creatore, in quo viuimus, mouemur, & sumus? Act. 17. *Hurrendum est incidere in manus Dei viuentis.* ad Hebr. 10.

*o* 2.2. quæst.  
13. art. 3.  
Blasphemia  
deterior homicidio.

p 4. Reg. cap.  
19.  
Blasphemiã  
Sennacherib  
quomodo  
Deus vltus  
sit.

*Admonitio*

*Admonitio pro antè traditorum usu.*

**S**ubiungit memoratus Loartes in cap. 29. admo- 18.  
nitionem aliquot puncta continentem.

Primum est non omnia tradita remedia, esse sin- Nō omnia  
remedia cui  
libet pro-  
ponenda.  
gulis pœnitentibus proponenda, quia id nimis pro-  
lixum esset: sed quæ ex audita Confessione iudica-  
buntur confitenti necessaria esse, & sufficere posse  
ad ipsius curationem. Non igitur omnia alicui spe-  
ciali peccato assignata, debent cuilibet indifferen-  
ter accommodari, sed tantum ea quæ ab eo, qui  
se offert capi possunt, & ei esse vsui.

Secundum est cum pœnitens variis peccatis im-  
plicitus, ab omnibus pariter oppugnatur: ita ut dif-  
ferentibus peccatis æquè consulendum sit, tunc  
sufficere vnicum singulis remedium attributere: nisi  
quod conueniat plura adferri aduersus illud, à quo  
pœnitens vehementius impugnari inuenitur.

Tertium est, quod dicitur de remediis, idem esse  
dicendum de pœnitentiis assignatis, pro variis pec-  
catis: nempe ut non omnes indifferēter imponan-  
tur, sed prout peccati, & peccatoris conditio exege-  
rit: ac cum fuerint peccata diuersa, pro vnoquoque  
aliqua pœnitentia imponatur, ei accommodata se-  
cundum antedicta; sique aliquod ex iisdem pecca-  
tis grauius fuerit, plures ex talibus pœnitentiis im-  
ponere conueniet.

Quartum est, consultum esse, ut Confessarius  
eiusmodi pœnitentias adiunctis remediis in prom-  
ptu habeat, simulque diligens sit in aliis (quæ multe  
sunt) comparandis librorum lectione, & communi-  
catione cum iis, quos nouit in hac exercitatione bene  
versatos, & imploratione auxiliij Spiritus sancti, ex  
cuius

cuius maximè impulsu dirigi oportet in peccatorum curatione, vt sit fructuosa.

Remedia  
particularia  
vnde pe-  
tenda.

Remedia particularia aduersus varias species peccatorum relinquemus Confessario comparanda sibi librorum piorum lectione (quam debet familiarem habere) præsertim cùm nimia prolixitas vitanda sit, & antedicta sufficiant ad ipsum dirigendum in illis eligendis; & ad illorum defectum supplendum, ostendèdo tale peccatum ex tali fonte oriri: proinde adhibere debeant talia remedia, per quæ tollatur causa, ex qua manant. In particularibus pœnitentiis verò pro iisdem peccatis imponendis, dirigi poterit idem Cōfessarius, tum per antedicta de imponendis pro capitalibus, tum etiam per Canones pœnitentiales in eum finem descriptos in præced. capite.

## CAPVT XX.

*De diminutione & mutatione satisfactionis  
imposita à Confessario, & acceptata  
à pœnitente.*

### SUMMARIUM.

1. Duo modi, quibus per interpretationem potest satisfactio relaxari.
2. Satisfactio etiam si iuste imposita, & acceptata, mutari, aut diminui potest à Confessario, iusta de causa.
3. Quid in hac re amplius possit Confessarius, qui satisfactionem imposuit, quàm alius.
4. Superior Confessarij potest satisfactionem ab eo impositam